



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IX. Liberalitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS IX. LIBERALITAS.

§. I. Symbola.

Pertransit benefaciendo. Act. 10. 38. q. d. ejus cursum non alium quam solis fuisse, qui illuminando, & fovendo, cursum perpetuò peragit. Incert. auth.

Sol. Lem. *Motus secundus. Pertransit benefaciendo.* Picinelli.

Sol. Lem. *Non exoratus exorior.* Id. Quare non vendis &c. ò sol lucem tuam? gratis accepi, gratis communico. *Gratis accepistis; gratis date,* ait Dominus. Matth. 10. 8. usus gratiæ debet esse liberalis in proximum. S. Bonaventur. f. 2. de ingressu ad spientiam. Liberalis est velut sol; qui, cum orbi apparet, mortales omnes implet jucunditate: sic liberalis dum benignè omnibus facere studet; ubicunque conspicitur, lucem quandam secum affert, quæ lætitiæ, & jucunditatem, omnibus parit. Isidorus Clarius orat. 61.

Cor nostrum dilatum est. 2. Cor. 6. 11. Per latitudinem intelligunt Hebræi cor lætum, amicum, & liberale. Cornelius hic.

Quod si difficile tibi putas ò homo, magnificentiam, divinæ largitionis imitari, saltem ea, quæ deorsum sunt, & in pedibus tuis intueri. Offer tu fructum sicut terra; noluisse deterior insensibili elementò: illa enim fructus, quos affert, non suis usibus vindicat; sed tuis ministrat obsequiis. Tu verò fructus illius solus invadis, & tibi soli concludis. S. Ambros. f. 81, de hom. divite.

§. II.

Liberalitas propria est nobilitatis.

Germinet terra herbam virentem. Gen. 1. 11. Producent Deus terram herbas, plantas, dat eis mandatum. Similiter aquis v. 20. *Producant aque reptile.* Creavit solem, lunam, stellas; & nullum dat eis mandatum. Terra, aqua, plantæ &c. Quia res humiles, & inferioris conditionis; ut aliis beneficiant, præceptò erant adstringenda: non sic sol &c. Sat illis erat nobilitas naturæ. Sic animus nobilis, ut aliis solis instar beneficiat, non eget præceptò; ipse sibi ad benefaciendum stimulo est. Sylveira in Luc. 23. c. 17. q. 11.

Vade pacificè in domum tuam; ecce honoravi faciem tuam. 1. Reg. 25. 35. Dixit David ad Abigail, dum egressa in occursum obtulit ei panes, & ipse accepit. In quo honoravit? Abulens: quia voluit recipere de manu ejus munera. Post assumitur in conjugem v. 39. Et nihil simile dicit David, honoravi &c. Abigail magis nobilitata dando pauca, quam regalem accipiendo dignitatem. Sylveira in Luc. 11. q. 16.

Cor sapientis in dextera ejus. - Eccl.

10. 2. Dextera symbolum est libertatis & liberalitatis; sinistra servitutis, & avaritiæ: ad dexteram enim incedunt domini, & magnifici; ad sinistram servi, & avari. Cornelius hic.

Probate me, dicit Dominus, si non aperuerò vobis catarractas cæli, & effunderò vobis benedictionem usque ad abundantiam. Malach. 3. 10.

Domine, non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare. Luc. 10. 40. Sed Mariæ præ Marthæ patrocinatus: *Maria optimam partem elegit.* S. Augustinus quærit: quòd Christus, qui gratitudinis primam semper rationem habuit, cujus causam damnare debuisse videtur, defenderit; damnavitque, quæ defensionem merita: cum & illa incuria tanti hospitii sedet otiosa; & hæc sollicita cibos apparavit, mensamque intruxit? Respondet August. erat Maria intenta dulcedini verbi Dei: intenta erat & Martha, quomodo pasceret Dominum; intenta Maria, quomodo pasceretur à Domino. Martha convivium Domino parabat, in cujus convivio Maria jam jucundabatur. q. d. Christus Mariæ plus debuit, quòd ea illi dandi copiam suppeditavit; cum Martha accipiendi tantum occasionem ministraret: dare enim nobilius, quam accipere. Didacus Niss. D. 1. Pent. §. 2.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. 27. Non decantat mulier Virginis gloriam ex multis donis, quæ accepit à Domino; sed ex lactis guttis, quas puero JESU effudit: quia in majorem cedunt decorem, quæ largimur, licet parva; quam multa alia, licet ingentia, quæ ex aliena liberalitate accipimus. Sylveira hic q. 16.

Qui potestatem habent super eos, beneficii vocantur. Luc. 22. 25. Torques signum est principatus; ita beneficentia decet principes. S. Hieron. l. 1. sup. Matth. qui divitiarum servus est, divitias custodit ut servus: qui autem servitutis discussit jugum, distribuit eas ut Dominus. Cornelius in Prov. 3. Alludit Dominus ad nomen principis, qui Hebræicè dicitur *Nadhab* à radice *Nadhab*, quod liberaliter, & sponte dare significat. Anima Cant. 7. 1. vocatur *filia principis*. Theodoretus legit: filia sponte dantis. Doultreman. l. 3. c. 2. f. 3.

Præstabilius habetur, beneficium dare, quam accipere: atque antiquior est misericordia, quam lucrum. S. Gregor. Naz. or. de paupertate amanda. Duce in Mundo profapia sunt; dare & accipere. Quanam harum nobilior? antiquior est misericordia, quam lucrum. Didacus Niss. D. 1. Pent. §. 2. Heroicum opus dare. Date Id.

Post magnificentiam resurgentis, post gloriam ascendentis, post residentis sublimitatem; non restabat, nisi ut expectationi justorum lætitia adveniret; & cæli muneribus cælestes homines implerentur. S. Bernardus f. 2. in festo Pent.

Nnn nn 3

Sicut

Sicut liberalitas signum est nobilitatis, sic rapacitas signum est rusticitatis: unde aliqui, qui reputantur nobiles, si ita loquendum est, rusticissimi sunt; & quod bonis suis spolient pauperes. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erud. princip. c. 5.

Nobiles, & magnificos decet, nil promittere; sed quasi praesagire desideria hominum; & eorum petitiones largitionibus praevenire. Blesensis ep. 34.

Excedit sanctificatio beatificationem prioritate: nisi enim illa praecederet, ista non sequeretur: virtute, quia in actione, & agonibus est, illa in fructu. Sed plus est inferre, quam recipere; agere, quam agi; diligere, quam diligi, servire, quam serviri, facere, quod suae est vicis, sive debiti, quam recipere, quod alterius. Sim. Cass. l. 12. c. 18.

Vide Tit. Dominus.

§. III.

Liberalitas est regia virtus.

Num. I.

Ex Veteri, & Novo.

Fecitque Deus duo luminaria magna.

Gen. 1. 16. Quis nescit? Solem esse omnium planetarum, & stellarum, regem. Vix autem illum Deus condidit, quando censu solenni ornavit eo, quem coronis suis, ac sceptris, imminere, cogitare reges debent. Quod illud onus? quo cum illum regem fecit? eo, ut lucem suam in planetas, & stellas, derivaret. S. Joannes Damasc. de fide l. 1. c. 7. Luna à sole lumen suum mutuatur; ut nostra inter nos communicare disceremus. Et reges intelligerent, non ob id esse soles, ut sibi luceant solis; sed ut eam, quam à Domino habent, lucem, in usum subditorum vertant. Didacus Niss. D. 4. Quadr. §. 8.

Clamavit populus ad Pharaonem alimenta petens. Gen. 41. 55. Hebr. *clamavit ad regem pro pane.* Oleaster hic: mirum valde est, quod ad regem, ut panem praeberet, irent: ut hinc reges discant non esse tam dominos, quam parentes omnium suorum; & curent temporalia etiam suis administrare; & vereantur Christiani reges hanc negligere, videntes hanc gentilem curasse. Unde Is. 3. 6. legis *vestimentum tibi est; princeps esto noster.* Et jurabit in die illa: non ero Dominus, & in manu mea non est panis. Noluit ille esse princeps, quia non habebat ad dandum: ut eos ostendat non debere reges esse, qui nihil dant. Notat Abul. q. 23. in 3. Reg. 1. unctio, vel coronatio, regum fiebat apud fontes, & arbores: ut dominæ juxta fontem Ragel 3. Reg. 1. 9. Et Abimelech juxta celebrem quercum, quæ stabat in Sichem Judic. 9. 6. Cur id factum? ut monerentur offi. in sui; fontes & arbores, imitari. Arbores hominibus umbram & fructus probent; fontes fecundant plantas, & campos. Fons à fundendo dicitur, inquit Abulens. in 1. Gen. Didacus Niss. D. 4. Quadr. §. 8.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

Luc. 12. 32. Mox adjecit: *vendite, quae possideris v. 33. & date elemosynam.* S. Chrysost. l. 24. est consuetudinis, est animi felicitas; ut adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum; mox parentibus, propinquis, civibus indigentibus, liberaliter prorogare: nè sit mendicus animò, qui censu functus est, & honore.

Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Luc. 22. 25. Est hic titulus honoris, & laudis, qui principibus deferunt; quod benefici esse soleant, vel debeant. Hinc olim proprium regis epithetum erat Bonus. Inde etiam Deus Rex regum proprio epitheto dicitur: Optimus, Maximus. Cornel. hic.

Ex aliis.

Novit ille (Rex) regiam manum magis Donativò splendere, quam sceptro. Hildebertus ep. 3. Gratulatur amico donatum à rege Sacerdotium.

Munificentiam regis quotidie decet cum sole relucere, & jugiter aliquid facere, quò possit largitas principis apparere. Cassiodor. 8. var. 22.

Narrat Plutarchus in Apophth. Rom. Artaxerxem Xerxis filium dexteram manum longiorem habuisse sinistrâ; indeque dictum Longimanum. Cumque id illi vitio verteretur; ipse in bonum omen, & regiam virtutem, convertit, dicens: sibi tanquam optimo principi Deum communicasse ut manum haberet ad largiendum amplissimam; alteram verò ad accipiendum, & dilahendum brevissimam, & contractam.

Num. II.

Liberalitas regia virtus Christi D.

Regnum tuum, regnum omnium Saculorum. Pl. 144. 13. Describit qualitates regis. Tertia est virtus, regia liberalitas: pertinet enim ad regem, non exipilare subditos, non emungere pecunias variis artibus; sed liberaliter alere ut filios. Bellarminus hic.

Ecce plus quam Salomon hic. Matth. 12. 42. S. Irenæus l. 4. c. 21. Unus, & idem Dominus, qui plusquam templum est, & plusquam Salomon donat; id est, suam praesentiam, & resurrectionem à mortuis: qui semper habet, & plura metiri domesticis; & proficiente eorum erga Deum dilectione, plura, & majora donat.

Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22. 2. Cur hic vocatur rex? qui Matth. 20. 1. Vocatur *paterfamilias.* Hic dicitur Rex, ut denotetur ingens omnium bonorum affluentia. 2. q. In vinea commodum suum spectat; ideo tantum dicitur homo. In convivio totus commodum suorum intentus, dicitur Rex: ille enim verus Rex, qui aliis consulit. Sylveira hic q. 2.

Hic est Jesus Rex Judaeorum. Matth. 27. 37. Permittit Christus appendi titulum, qui regnum suum publicè praedicaret. Non hic Joan. 6. 15. *Jesus ergo cum cognovisset &c.* Cur in cruce regis admittit inscriptionem; & in solitudine, quando usque ad saturitatem tur-

bas pavit, regnum recusat, & fugit? Quia in deserto, licet multis, non omnibus benefecit; in cruce pro omnibus pretiosum sanguinem fudit. De Castillo Illat. 193.

Omnis, qui se regem facit, contradicit Casari. Joan. 19. 12. Sed quid in se regium humilis ostentavit Iesus? Unde potuerunt colligere vel umbram tanti mendacii? S. Leo f. 10. de Passi, veruntamen non in totum inanis videatur Judaeorum objecti. Discute diligenter praeses, quid de Domini operibus notum sit; quid de potestate compertum. Cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis praestat eloquium: febres abegit, dolores resolvit, mortuos suscitavit. Magnum prorsus regem ista demonstrant. Bæza l. 1. c. 8. §. 4. Opulenti, Servator, verèque Rex, tu factus es pauper; ut nos tuâ paupertate diti faceremus; tu etiam nobis regnum caelorum largitus es. S. Athanas. Alex. lib. de Cruce & Passi, D.

Non Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferre armandum; sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat; quod in regnum caelorum credentes, sperantes, amantesque: perducatur. S. August. tr. 51, in Joan.

§. IV.

Liberalitas est divina virtus.

Apparuit ei Dominus. Hebr. *El saddai*. q. d. Ego sum fortis & liberalis. Dai, id est, sufficientia.

Alii Deum dici volunt à dando; sicut Jo- vem à juvando. Cornelius hic.

Aperuitque Joseph universa borrea. Gen. 41. 56. Ex hoc beneficio, & alimentione Joseph, putant multi, Joseph vocatum fuisse Serapin, eumque Serapidis nomine cultum ab Aegyptiis. Hinc Serapidem coluerunt specie bovis; qui symbolum fertilitatis. S. Chrysost. hom. 67. Docet, Josephum id praefigisse; ideoque mandasse Hebraeis, ut exeuntes ex Aegypto ossa sua secum efferrent: scilicet ne superstitiosi Aegyptii ea ut numen colerent. Cornelius hic.

Si dixerint mihi: quod est nomen ejus? quid dicam eis. Ex. 3. 13. Moyses futurus magnus Dei legatus, mittentis nomen interro- gat. Respondet Deus: *ego sum, qui sum.* Et statim v. 15. Ac si non satis nomen suum explicuisset addit: *Dominus Deus Patrum vestrorum - Deus Abraham &c.* Misit me ad vos. Cur Deus nomine suo ineffabili manifestat, quod totius Esse fons est, servorum suo- rum se praedicat Deum? Petrus Dam. ferm. in nat. D. perterritus Moyses inextricabilis au- thoritate vocabuli, ac si diceret: hoc excedit intellectum meum; non possum capere, nisi effundatur. Audit à maiestate: *ego sum Deus Abraham &c.* Vides effusionem. q. d. Moy- ses insufficiens erat, ut illud nomen. *Ego sum, qui sum*, utpotè naturæ incomprehensibilis, intelligeret. Ut ergo servus Domini excellen- tiam agnosceret; aliò adjuvatur nomine, non naturam Dei significante. Sed effusionem, gratiam & largitatem: quomodo enim est Deus

Abrahæ &c. Nisi per amorem, & beneficia. De Castillo Illat. 30. divinitas ex beneficentia noscitur.

Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Matth. 4. 3. Theophylactus: non dixit, ut lapis hic panis fiat, sed lapides: volens Christum ad superflua instigare; esurienti enim unus panis sufficit. Proprium judicavit Dei, non solum dare sufficientiā; sed multo plura etiam necessariis. Dæmon Deum crederet, si tam munificum videret. Didacus Niss. D. 2. Epiph. §. 4.

Vocabis nomen ejus Iesum - & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Luc. 1. 31. 32. S. Chrysost. f. 144. Vides, quia quando accipit, David Filius dicitur; quando dat, Dei Filius nuncupatur. q. d. his angeli ver- bis Christus D. & Filius Dei, & Filius David, dicitur; sed hoc diferimine: cum Iesus dicitur; & hominibus daturus salutem; juxta nomen promittit angelus, Dei Filius vocatur, Filius al- tissim: sed cum accipit, David filius. Pinna Ethol. 12. Dei liberalitas.

Dabit illi Dominus Deus. Luc. 1. 32. Cum saepe in hoc capite fiat mentio nominis Dei; missus est angelus à Deo. v. 26. Et non erit impossibile apud Deum omne verbum. v. 37. Hic tantum dicitur *Dominus Dei*. Cum de eo praedicatur *dabit*, statim *Dominus Deus* publicatur. Plus enim nobis, & angelis, ma- jestatem, & excellentiam Dei, ipsa beneficentia, & donorum effusio, praedicabat; quam ipsum supremum dominum omnia gubernandi. Syl- veira hic q. 39.

Dei benignitatem imitare: nihil homo di- vinius habet, quam beneficentiam. Licet Deus nullo labore fias; opportunitatem adipiscendæ divinitatis amittere noli. S. Gregorius Naz. Orat. 18.

§. V.

Liberalitatis alia motiva.

Tradidi poculum Pharaoni. Gen. 40. 11. Vel in somno de largitione curat, qui libe- ralis est; clausis oculis manus aperit. Pistor somnians nihil offert. Tam dignus hic sup- plicio, quia ad avaritiam pronus; quam ille pro- miò, qui non sibi vinum, sed Pharaoni, propi- nat. Alvarez Illustr. 44.

Succide illam: ut quid etiam terram occupat? Luc. 13. 7. q. d. Non sum posthac ferendo eam plantam, quæ suâ rusticâ paritate meam exhaustit patientiam. Caietanus vertit: ut quid terram onerat? significatur, quod onus est terræ, sugens illam, & tamen fructum non reddens. Qui vult aliis totum exfugere san- guinem, nec quidquam reponere; qui proten- sâ manu semper vult accipere, nunquam aliquid reddere; est oneri intolerabili. Didacus Niss. vita Abr. l. 5. c. 8.

Beneficentia nolite oblivisci. Hebr. 13. 16. Ob beneficentiam in proximos angeli cum hominibus versari non sunt dedignati, de qua re scribitur ad Hebraeos: *beneficentia &c.* Isidorus Clarius l. 1. Or. 61.

Libera-

Liberalis vicinus est Dei, vicinus hominum, vicinus paradisi, remotus ab igne Inferni. Proverbum Arabicum Centuria I. n. 80. Cornelius in Eccli. c. 4.

Quidam de Primoribus Hispaniæ rogatus; quâ arte totius populi animos sibi obstrinxerit?

pileo, inquit, & crumenâ: humanitate scilicet erga quosvis, & liberalitate. Alvarez. Illust. 251.

Si quis in hoc Mundo vult multis gratus haberi.

Dei, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil. Doultreman 1. 3. c. 4. f. 1.

TITULUS X. LIBERALITAS DEI ET CHRISTI.

§. I.

In genere.

Ex Veteri.

Requievis ab omni opere, quod pararat. Gen. 2. 2. Cum angelorum innúmeras differentias creâsses; coelos, astra, terram, maria, corporumque varias naturas, condidisses; in his omnibus non quievisisti; sed homine conditò. In homine quievit Deus, non in angelo, non in cælo: quia beneficiendi, innotescendique, sufficientem, affluentemque sibi in eo materiâ dari prospexit. S. Thom. Vil. l. 3. in Nat. D.

Quidnam est, hoc, quod fecit nobis Deus? Gen. 42. 28. Cur non dicunt, quod fecit nobis Joseph? & quia triticum simul, & pecuniam simul, videbant; & frumentum gratis absque pretio, & lucrò, datum cernebant; bene dicunt, esse id opus Dei: nam sinè lucrò aliquid dare, Dei magis opus est, quàm hominum. S. Athanasius l. 3. in Arrianos, ut divinitatem Christi adstruat, hoc utitur argumentò: si ergo non fui, sed nostri, causâ venit; fieri non potest, quin sit Deus. Didacus Niss. D. 4. Quadr. §. 1.

Mane videbitis gloriam Domini. Ex. 16. 7. v. 10. *Et ecce gloria Domini apparuit in nube.* Quæ sit ejus gloria, indicat v. 12. *mane saturabimini panibus; scietisque, quod ego sum Dominus Deus vester.*

Quæ posuit prodigia &c. Pl. 45. 9. Potest dici prodigium à prodigo. Et hoc modò fecit Deus prodigia super terram: quia quasi prodigus fuit Dominus, cum pro redimendis inimicis suis proprium Filium dedit. Et ideo de Christo dicitur Pl. 67. 28. *ibi Benjamin &c.* ibi in cruce, *in mentis excessu*, in prodigalitate Patris. Hugo Card. hic.

Aperiente remanum tuam &c. Pl. 102. 28. Facilitatem supplicationis bonorum per hæc declaravit: sicut enim facile est, digitos introrsum inflexos extendere; sic facile est Deo omnium bonorum copiam largiri. B. Theodoretus hic.

Manus illius tornatiles. Cant. 5. 14. Septuag. *tornata* id est, affabrè elaboratæ; idèdque rotundæ, concinnæ. Hebr. *revolutiones, rotunditates; vel crisuli auri.* Tigurina: *manus ejus orbes.* Vatablus, *annuli aurei.* Symbolicè manus Christi, est ejus divina beneficentiâ. Dicuntur tornatiles, id est averfatiles, & agiles, ad omne bonum, omnemque beneficentiam, ait Justus Orgelitanus: quia assidue se versabant, &olvebant, ad varia opera misericordiæ. Sunt aureæ, quia plenæ charitate; & quia manant à divinitate. Cornelius hic.

Effudit illam super omnia opera sua. Eccli. 1. 10. q. d. Deus sapientiam, ab æterno in mente sua reconditam, in tempore communicavit omnibus creaturis, etiam inanimis; sed magis animalibus, præsertim hominibus, & angelis, diligentibus se. *Tò effudit*, significat largitatem beneficentiæ Dei: quòd se, suæque dona, & sapientiam, instar imbris, vel torrentis, copiosissime effuderit in Mundum; præsertim in homines se diligentes: quia hos donavit fide, gratiâ, & sapientiâ spirituali; ut Deum cognoscant, ament, & colant; itaque ad ejus visionem, & fruitionem, in qua consistit perfectio, & consummatio, sapientiæ, perveniant. Cornelius hic.

Aporiatus est, quia non est, qui occurrat. Il. 59. 16. Pagninus: *admiratus est, quia non esset, qui oraret.* Alii: infirmatus est, ceu lactis abundans nutrix; quæ, si mamillas non exerceat, infirmatur. S. Thomas, Chrysost. & Ambros. legunt: vidit Dominus, & depauperatus est: sicut mercatores, si repositas merces non vendant, pauperes fiunt.

Ex Novo.

Liber generationis Jesu Christi. Math. 1. 1. Cur non dicitur liber Passionis? De Passione frequentissime tractat Matthæus; & tamen hic liber Passionis non dicitur: quia Christus in Passione pretiosum suum sanguinem nobis donavit; in generatione verò nostrâ a nobis naturam, & sanguinem, habuit. Et magnificientissimus Dominus illius, quod acceperat, non verò quod largitus erat, mentionem facit. Sylveira hic q. 6.

Orantes nolite multum loqui. Math. 6. 7. Cur longiorem orationem vetat? quia ita cupit dare desiderata, ut prohibeat multum tempus in re una insumere; quòd ad multa, & diversa, possit sufficere. S. Chrysol. l. 67. Christus breviter orare docuit, qui citò vult postulata præstare. Pinna Ethol. 12. Sabbathi observationem, tantâ religione olim susceptam, Christus abolevit, & in diem Dominicam transfudit, non sinè magnâ populi Judaici invidia. Sed quæ causâ hujus mutationis? docet perpetuum studium Dei beneficiendi. Sabbatho ab operibus DEUS requievit nascente orbe; die verò Dominicâ Mundi formationem aggressus est. Ergo hæc dies præ illâ colatur: ne quis putet, Deum à beneficiendo homini cessasse; sed nunc denuò antiquis nova beneficia annedere, & ips maxime delectari. Idem ib.

Tibi dabo claves regni cælorum. Math. 16. 19. Satis